



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**


**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Disputatur de Nahumi patria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

caussa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons Templi in excelsa sylvarum. Videtur quoque Sophonias ex eodem Libro ista hausisse: *Salva-* Soph. 3. 19.  
*bo claudicantem, & eam que ejecta fuerat congregabo, & ponam eos in laudem, & in nomen, in*  
*omni terra confusiois eorum: sic enim Michæas: Et ponam claudicantem in reliquias, &* Mich. 4. 7.  
*eam que laboraverat in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion. Illa*  
*etiam Ezechielis: Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effunden-* Ezech. 22. 27,  
*dum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare ad sectanda lucra. Propheta autem ejus*  
*liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & dirvinantes eis mendacium, dicentes,*  
*Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus: affinia sunt istorum Michææ:* Mich. 3. 10, 11.  
*Qui edificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus*  
*judicabant, & Sacerdotes ejus in prophetia dirvinabant, & super Dominum quiescebant di-*  
*centes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Apposita*  
*quoque ad id argumentum testimonia Matthæi & Johannis, unde intelligitur, ex præ-*  
*dictione Michææ consentientem Judæorum omnium opinionem extitisse, futurum ut*  
*Bethlehemi Christus nasceretur: nec enim ex sua ipsorum persona docent Evangelistæ*  
*id prænuñtiasse Michæam, sed pervulgato inter Judæos sermone jacari istud solitum*  
*fuisse: talia enim de Herode refert Matthæus: Et congregans omnes principes Sacer-* Math. 2. 4, &  
*dotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In* 10.  
*Bethlehem Juda: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem, terra Juda, nequa-*  
*quam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.*  
*Item Johannes: Quidam autem dicebant: Numquid à Galilea venit Christus? Nonne Scri-* Joh. 7. 41. 42.  
*ptura dicit, Quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*  
*Jamdudum enim percrebuerat inter Judæos insigne illud Michææ vaticinium: Et tu* Mich. 2. 1.  
*Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator*  
*in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Christus ipse denique verba ejus*  
*& voces usurpare dignatus est: nam cum apud Matthæum sic disserit: Veni enim* Math. 10. 35.  
*separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adver-* 36.  
*sus socrum suam; & inimici hominis domestici ejus: procul dubio in animo hæc habuit:*  
*Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam; &*  
*inimici hominis domestici ejus: quæ Michææ septimo capite reperiuntur,*



DE PROPHETIA NAHUM.

I. Disputatur de Nabumi patria. II. Varia de ejus ætate opiniones proponuntur; III. deinde nostra. IV. Probatum Prophetia Nabumi antiquitas. V. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VI. Secundum argumentum.

I. **D**E Nabumi patria & ætate, deque Ninives excidio, quod vaticiniis Nahum præsignificavit suis, magnæ cientur inter eruditos velitationes, & oppido pauca ac fere nulla posterior ætas huic præbet testimonia, adeo ut quæcunque ad eum pertinent, jaceant propemodum in obscuro, & densis tenebris circumsepta sint. Institutum tamen tenere conabimur, & Librum hunc ab omni suspitione vindicare. Agamus primum de Nahumi patria. Simeonitide tribu oriundum fuisse ait Pseudo-Epiphanius, Elcesi natum, trans Jordanem, versus Begabar. Verba ipsius hæc sunt: *Ἐστὶ δὲ πατὴρ ἑλκεσὶ, πέντε τὴν ἰορδάνην, εἰς βεγαβάρ, ἐν φυλῆς συμμοίων.* Hic erat ab Helcesi, trans Jordanem, in Begabar, de tribu Symeon. Dorotheus vero Epiphanius hujus simius: *Hic Nahum erat ab Elcesi, trans Bethabaran, de tribu Symeon.* Hinc emendandum Epiphanius, & pro *βεγαβάρ*, legendum *βεθαβάρ*. Bethabaram enim trans Jordanem esse sitam docent Eusebius & Hieronymus, illicque Johannem lavacro homines in noxarum emendationem abluisse. Idem habet Origenes. Elcesi igitur circa Bethabaram natus est Nahumus, ex Epiphanius & Dorothei sententia, ibidemque sepultus. Elcesi quoque natum agnoscunt Eusebius & Hieronymus. Verum hic longe à Bethabara Elcesin locat, aitque Helkesai, *הלקסי*, parvum Galilææ viculum, & vix veterum ædificiorum ruderibus agnoscendum, sua ætate extitisse, Judæis notum, sibi que ab itineris duce monstratum. Unde eos confutat, qui Nahumum Helcesæum putabant esse dictum, à patre Helcesæo, Propheta quoque & ipso. Si qua in re, certe in notitia Terræ sanctæ fidem meretur Hieronymus, qui & ex diligenti lustratione, & ex

accurata sacrorum codicum lectione, & ex frequenti doctorum Judæorum consuetudine Palæstina loca apprime cognoverat.

*Varia de ejus  
atque opinio-  
nes proponuntur;*

Joseph. Antiq.  
libr. 9. cap. 11.

Hier. Theod.  
& Theoph.  
Proem. in  
Nah.

Clem. Alex.  
Strom. 1.  
deidenostra.

Herod. libr. 1.  
subversam.  
Joseph. Antiq.  
libr. 9. cap. 11.

*Probatum  
prophetia*

II. Exploranda deinde Nahumi ætas, quam quidam ad Sardanapali tempora retulerunt, hoc Ninives excidium notatum ab eo esse volentes, quod Arbace auctore contigit, cum ab Assyriis ad Medos imperium translatum est; Joa Judæorum, Jehu Israelitarum regnum tenente. Id si sit, sacrorum omnium Prophetarum, majorum, & minorum, quorum scripta constant, antiquissimus ille fuerit. Probabilis Josepho visum est, ad Joatham tempora Nahumum pertinere, quas autem adversus Ninivitas edidit vaticinationes, post centum & quindecim annos esse completas, Josiæ nempe temporibus. Plures Ezechia regnante floruisse Nahumum censent; Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus, etiam post abductos à Salmanasare in servitutem Israelitas, & Deum tum eos, tum & reliquos Ebræos, qui Ezechia pangebant, & variis modis ab iisdem hostibus vexabantur, prædictionis hujus solatio recreare voluisse. Atque idem Hieronymus, primo Nahumi capite prædictam fuisse sentit cladem Sennacheribo, Assyriisque illatam ab Angelo, dum Hierosolymam oppugnarent. Unde colligitur editum esse vaticinium inter duas Assyriorum expeditiones, Salmanasaris adversus tribus decem, Sennacheribi adversus reliquas duas, quarum illa vix novem annis hanc antecessit. At auctor Seder Olam, & ex eo R. Isaac Abrabaniel, Ebraïque fere omnes, cum Michææ, quem sub Joatham, Achazo, & Ezechia floruisse sciebant, succedere Nahumum in Canone viderent, eum, ejusque prædictiones attribuendas duxerunt awo Manassis, qui Ezechia regi successit. Atque has prædictiones exitum habuisse statuunt Joaximo inter Judæos regnante, cum à Nabuchodonosore Ninive diruta est. Jonathan vero, & Pseudonymi Epiphanius & Dorotheus, alique, Ninivitis imminentes calamitates prædixisse rentur, quod Jonæ comminationibus ad meliora jam ante conversi, in pristinas deinde noxas essent revoluti. Quot annis Jona fuerit recentior, accuratius definire insuper habent, quod quidam nonaginta annorum spatio definiunt. Sunt qui Josiæ awo futura prædixisse velint. Omnium vero longissime extra oleas abit Clemens Alexandrinus, Ezechiele ipso recentiore Nahumum fingens.

III. In tanta Interpretum discordia, ad similitudinem veri mihi valde videtur accedere Hieronymi sententia, qui in Ezechia ætatem Nahumi vaticinium confert, inter Israeliticam deportationem, & Hierosolymitanam Rabfacis obsidionem; nam & id postulare videtur ordo quem inter Prophetas minores obtinet, & eo inclinare video maximam eruditiorum Interpretum partem. Verum aliud præterea adjecit Hieronymus accurata observatione dignum: nam inflictam quidem Assyriorum exercitui pro mœnibus Hierosolymitanis cladem, primo Nahumi capite prænuntiari sentit; sed reliqua duo libelli ejusdem capita ad toleratas olim ab Israelitis ærumnas, irrogatasque Judæis ab Assyriis contumelias, & excisam demum à Nabuchodonosore Niniven pertinere arbitratur. Quæ postrema capita duo priusquam explanet, Lectorem monet se Ebræorum expositionibus adhærere. Quamobrem si Ebræos illos, quos secutum se proficit Hieronymus, conciliare velimus aliis ejusdem gentis Magistris, qui sub Manasse editum Nahumi vaticinium rentur, dicemus primum caput temporibus Ezechiaæ prodixisse, post deportatas decem tribus; eventum vero tum esse nactum, cum Sennacheribi copie ab Angelo deletæ sunt, & ipse Sennacheribus Niniven redux, à filiis interfectus est; reliqua vero capita duo multis post annis primum à Nahumo fuisse adjecta, & ita quidem adjecta, ut in unum contextum colligata simul videantur coherere; nimirum quod consimilis essent & ejusdem argumenti, & Assyriorum calamitates prænuntiarent; exitum vero habuisse, partim cum Niniven vastavit Cyaxares Medorum rex, Josiæ temporibus; partim etiam ac præcipue, cum eam Nabuchodonosor aliquot post annis funditus delevit. Idem quippe Hieronymus, Proemio in Jonam, sic diserit: *Quantum ad historias tam Ebræas, quam Græcas pertinet, & maxime Herodotum, legimus Niniven, regnante apud Ebræos Josiæ, & Assyriæ rege Medorum, fuisse*

At cladis hujus auctorem fuisse Cyaxarem tradit Herodotus. Illuc respexit Josephus cum Joatham coætaneum Nahumum statuens, post annos centum & quindecim edita ab ipso adversus Niniven vaticinia, eventu comprobata fuisse refert, in Josiæ quippe ætatem incurret illud tempus, si à Joatham ætate initium feceris numerandi. Itaque Nahumi prædictio adversus Ninivitas, quæ duobus postremis capitibus inest, à Cyaxare & Nabuchodonosore diversis temporibus completa est. Nec refragari videntur conditores prisca Librorum sacrorum Canonis, à quibus Nahumus subjunctus est Michææ, qui Joatham, Achazi, & Ezechiaæ æqualis fuit: in eo quippe desit Michæas, in quo vaticinari exorsus Nahumus ad Manassæm pervenit.

IV. Bene vero est, quod Duodecim Prophetarum memoriam Sirachides retinuit, unde satis probatur antiquitas Nahumi, qui unus ex illis semper habitus est, ut ex